

Ann. VIII.

ROMAE, Kal. Maiis MDCCCCV.

Num. V.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italianam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA"

VARSAVIAE POLONORUM Rakowscie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W. 28, Orchard Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

De Oceani Pacifici futura possessione.

Quantum praesidii a Graecis litteris ingenia mutuentur.

De Gymnosophistis.

Amator Naturae.

Colloquia latina. - Arma scholastica.

Ostienses memoriae.

Iulius Verne.

Iulii Verne prophetiae.

Acta pontificia: I. SS. D. N. PII PP. X Allocutio habita in Consistorio d. XXVII mens.

Martii an. MDCCCCV. - II. « Motu proprio » de protonotariis apostolicis, praelatis urbanis, et aliis qui nonnullis privilegiis praelatorum propriis fruuntur.

Diarium Vaticanum: Coram SSmo admissiones. - Pontificae electiones. - Vita functi viri clariores. - Varia.

Annales: Iaponicum bellum. - Russicae res. - Balkanici tumultus; Cretensis seditio. - Regalia itinera; Gallorum sollicitudines.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem.

Ioci.

Aenigmata.

Libri recens dono accepti.

In secunda operculi pagina:

"Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis,,.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCV

Sociis et lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Novo superveniente anno, quem VIII Vox Urbis inscribere gloriatur, non quidem, ut plerumque assolet, nova et magnifica promittemus; non enim sociis et lectoribus, qui constanter in itinere, neque eodem brevi atque expedito, nos comitati sunt, magniloquis verbis temerariisque promissionibus illudere opus est nobis, sed tantum ea adnotare quae in eorum veram utilitatem adducere constituimus.

Vox Urbis itaque in annum M DCCCC V ea erit, quam socii voluerunt: commentarium menstruum, qui non unum Urbis augustae matris sermonem, sed omnem cultum et humanitatem referat, eaque omnia quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valeant. Disputationes igitur, quae plerosque populos aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones suum locum apud nos hoc etiam anno convenient, atque simul nuncii, significaciones, et documenta, quae tum circa catholicam rem, quam tueri gloriamur, tum circa eventus peculiari nota dignos, in varietate quamquam, *simplex dumtaxat et unum opus reddant nostrum.*

Sed aliud quoque expediemus, quod non paucorum sociorum desiderium explebit; articulos scilicet in quibus, quasi in parva tabula, simplici eoque facili stylo, descriptionibus, narratiunculis, dialogis, argumenta vitae maxime communia tractentur, unde liceat colloquia latine inire atque alere. Ita finem illum supremum, ut latinus sermo universalis, prouti dicunt, reducatur, non modo obliscescatur, imo etiam propius prospiciemus.

* * *

Maiora vero comparavit administrator; qui non modo immutatum reliquit pretium subnotationis, quod est in Italia lib. 4, 80; ubique extra Italianam lib. 6, 25 (doll. 1, 25; sch. 5; march. 5; rubl. 3; cor. 6, 25); sed ad magis magisque commentarium vulgandum curis creditum suis rationes vere favorabiles cavit, quae sequuntur:

Si quis socios novos duos comparaverit, pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit; eoque bono gauderi poterit ipse subnotator novus, qui, sua vice, eadem gesserit. Quum iste scilicet socios alios duos nobis acquisiverit, facultas ei erit non duorum pretium, sed unius tantum mittendi, atque alterum faciendi suum, ut pretio pro subnotatione iam ante misso sese resarciat. Neque eum pudor teneat novos

subnotatores de favore ipsi concessu aliquo modo certiores futuros: hi enim receptionis schedulam, veluti si pecuniam directe per se miserint, regulariter accipient. Haec una conditio, ut novi hi subnotatores intra menses duos, a propria cuiusque subnotatione decurrentes, requirantur, utque omnia ad Aristidem Leonori equitem (Romam in Italia, via Alessandrina, 87) recto tramite mittantur.

* * *

Quid plura?... Plura tamen administrator concedere sociis voluit, eaque paene incredibilia; id enim effecit, ut *VOX URBIS* socii e loco domicilii sui in Urbem, atque inde in domicilium suum reverti gratuito possent. Id iis paratum est — bibliopolis, uti patet, exceptis — qui ante Iulium mensem an. M DCCCC V sexaginta novas subnotationes collegerint earumque pretium integrum ad administrationem miserint. Societati itinerum notissimae Cook et Son munus commissum; ea, ubi primum a nobis certior facta erit, epistolarum commercium cum socio inibit, omniaque disponet ut is nullo impendio ab *Europae* loco ubi vivit Romam usque, atque Roma in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus, iter aggrediatur. Estne difficile nimis sexaginta socios novos comparari? En rursus benigne succurrit administrator: qui triginta tantum collegerit, dimidiatum pretium itineris habebit.

* * *

Sunt tamen qui eiusmodi curas negligent: num his praemium nullum erit? Atqui erit sociis omnibus, qui ante expletum Februarium mensem an. M DCCCC V debitum solverint suum; idque, more nostro, pulcherrimum: *imago heliotypice expressa metr. 0,32 × 0,45 Pium X Pontificem referens sacris ad solemnia indumentis ornatum atque benedicentem.* — Quod si denique socius tabulam illam maluerit metr. 0,22 × 0,45 iam in nostrum commodum unice superiore anno desumptam, ac Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX an. M DCCC XLVI peractam, quum exemplaria nonnulla apud nos sint adhuc, eam requirat, nosque, donec possibile erit, ei morem geremus.

* * *

Restat nunc ut sollicitudini nostraee sociorum favor in dies crescens respondeat.

Vox Urbis.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE OCEANI PACIFICI FUTURA POSSESSIONE.

PACIFICUM Oceanum, maximum quidem et paucis vix interruptum insulis, qui perpetuae quieti sacer videbatur, variasque disutasque gentes dividere ac separare, iuniores populi, negotiosi et alacres, multisque armis instructi etiam etiamque hodie sibi vindicant, de eiusque dominio decertant. Ut maiores nostri de interno mari potiundo cogitabant, ita nepotes de maximo Oceano consilia agitant, unde fiet ut paucos forte intra annos, ingentibus classibus atque exercitibus, late ex adverso pugnabitur. Qui enim humanitatis umbilicus olim in Europa putabatur consistere, is paullatim Pacificum versus mare praepulsus appetet. Nostra igitur fata nostraque utilitas novas eius terras iam spectant, quae futuras divitias continent, et intactas adhuc integrasque vires, vimque generandi inexhaustam custodiunt.



At ea circa litora antiquiores Europae gentes, quae sua ibi tropaea constituerunt, novum hodie populum contra se elatum iam adspiciunt, qui Iaponiam incolit.

Quae quidem quum, labente XIX saeculo, bellum contra Sinenses suscepisset, brevi et clara victoria suum inter maximas nationes locum adepta est. Nonne eventus, qui per extremam illam Orientis regionem his diebus maturant, geniti profecto a prima illa victoria facile noscuntur? Tritum est enim Iaponiorum arma ipso in triumpho fuisse Russorum intercessione suspensa, Gallisque atque Germanis una cohibentibus, a Mandchouria provincia recessisse, ut pax componeretur. Quod tamen foedus quum Victoriae pretium paene omnino victoribus di ripuisset, unum in consilium Iaponios impulit, ut eam classem exercitumque sibi pararent Russos superare potentes et Orientis totius mare dominari.

Quam itaque pecunia ad sarcandas bellum iniurias Sinenses Iaponiis solverunt, eam omnem ad suas augendas vires illi erogarunt, ita plane ut nisi seditio illa Sinensium pessima deferbusset a Pugilibus nuncupata, quod bellum hodie lugemus duobus ante annis iam initum fuisset.



Quamquam non tam odio in aemulos suos ad bellum compulsi Iaponii sunt, et ad Asiae litus late pervadendum, quam etiam commerciorum necessitate. Gens enim Iaponia in ingentem semper numerum ita multiplicatur, ut multis coloniis egeat, quae superfluam prolem patria

migrantem excipient. Quum autem hisce subsidiis Formosa insula non sit satis, quam a Sinensis Iaponii acceperunt, quumque plurimas terras, quas sibi Iaponii quaeviserant nostrae gentes occupavissent, Coream versus peninsulam ipsis contendere omni ope oportebat, quippe quae et fertilis, et tutis portibus, et opportuno loco sita videretur.

Tunc vero sibi Russorum praesertim adversari perspexerunt populum et gente et regionibus et armis ingentem, qui Pacificum sibi invicem Oceanum addicere iam moliebatur, ad portum tendens glacie saltem solutum, quum contra Vladivostockiensis quem habebat nive plerunque et hieme occuparetur. Quare, dum Sinenses ad invicem et Iaponii decertant, Arthurum simum Russi occupant, quem versus ferreum illud iter Transiberianum ut discurreret curarunt. Attamen quum novas prope gentes et nova ad maria appropinquassent, oportuit Russos sua ibi oppida magis magisque munire, ut quas terras in Oceani litore occupaverant, eas ab omni incursione tutas facerent, ut sua ibi commercia in futurum augerent et tuerentur, ut ferreum iter suum ex integro facerent, ut incolas paullatim Russicis moribus erudirent, ut denique Mandchouriam terram Russicam in provinciam erigerent. Paucis ut rem expediam, extrema ad Orientis litora nova Russica regio coaluit et crevit, quae neque Caesarea lege caruit, quum anno MCM III Idibus Augustis Alexeiwi classiarcha Amuri fluminis provinciis veluti alter a rege ut praecesset est edictus.

At brevi, medio in itinere, Corea peninsula Russis obfuit, quae Russorum arma in duas partes divisit hinc ut Pe-ci-li ad sinum, inde ut circa Vladivostokum tenderent. Coreanum itaque regnum, utraque ex parte Russis adstantibus, eorum facile in ditionem venisset, nisi Iaponii quoque eius dominium optassent. Quapropter effectum est ut Russi atque Iaponii tandem de Corea potiunda decertarent.



Sed iam antea, tertio loco, Americani cives in Oriente apparuerant, quum Dewey navalis praetor Manilensem portum, pulsis Iberis, tenuit. Prius enim quamvis Americani cives non pauci in illis regionibus sedem constituerunt, de civili tamen ratione nunquam est agitatum; quin etiam anno ipso MDCC XC VII Shermanius, Americanorum praefectus, Gallorum cuidam legato fatebatur nulla sibi cum Sinensibus negotia esse, ac proinde ne unum quidem militem illuc esse mittendum.

At haec subito immutata sunt ex eo tempore, quo industres Americanorum naves, tutis de

commerciis defensa legibus, suas afferre merces in Sinenses quoque apparuerunt, et Anglorum Germanorumque negotia aemulari. Itaque hinc ex Americanis oris hinc ex Mandchouria praesertim provincia navium itinera multiplicari coepit. At simul Americani milites commerciis suis novas vias aperiebant; qua enim pugna Ibericam classem disiecerunt, medio ipso in Pacifico Oceano Americani conserderunt.



Neque id est mirandum si ad ea animus convertatur, quae postremis hisce annis Americanorum vires occidentem versus sibi procurarunt, ut gens illa tenax atque dives non iniuria suum ibi locum, neque ultimum quidem, vindicarit. Itaque superiore anno California in provincia, Rooseveltius praeses praenunciare poterat Americanarum gentium potestati maximi oceanii aquas esse reservatas, pauloque post, Sancti Francisci in urbe sermonem habens, quum de adepto Philippinarum imperio dicere hisce concludere, se optimum pacis servanda modum censere ut pararetur bellum, clasisque praevalida instrueretur.

Sed Pacifico in mari praeter Philippinas insulas, ubi Manilenis sinus tutissimum nautis praebet asylum, Hawaiianas, Samoa, Marianas insulas Americani habent. In Asia autem, atque praesertim in Sinis, recens eorum commercia amplissime aucta sunt, atque praesertim in ferreis itineribus sternendis in excolendisque fodiinis, quibus in negotiis aemulari maxime nostros Americani noscuntur. Hisce modis Americanica potentia per Pacificum oceanum ad flamas usque gentes attingit, atque iis in terris, ubi novem ante annis nullae Americanorum res erant, foederatae eorum civitates latas regiones possident, commercia excent maxima, et publicas res sedulo advigilant.

Quam tamen potentiam Panamensis freti via, quum patuerit, longe confirmabit; quae quasi ostium maximi oceanii iam apparebat eorum manibus traditum, ut apud nostros Aegyptiorum fretum est, per quod viam deduci oportebit quum orbem terrarum quis dimetiri voluerit.

Hoc modo ultimo in Oriente Slavorum gentes et Anglosaxonum adversa fonte progrediuntur; quos inter medius Iaponius populus vivit, quem nemo dicet utrum huic vel alteri sit adfuturus, utrum potentiae suae vim in perpetuum tueatur, eoque magis quod aliorum quoque gentium negotia iisdem in locis agitentur, prout alias demonstrabimus.

Z.



QUANTUM PRAESIDI A GRAECIS LITTERIS
INGENIA MUTUENTUR⁽¹⁾.

III.

A ea amoeniora studia, quae profitemur, accedamus, quaeque arctiori vinculo, et quasi cognatione cum atticis disciplinis continentur. Contemnunt quidem alii, laevoque lumine veterum labores intueantur, at omnem eloquentiae ac poeticae facultatis laudem a Graecis per quosdam veluti rivos ad nos dimanasse, omnes perpetuo sapientes existimarentur. Ut vero illuc, unde omnis litterarum ratio ducitur, referatur oratio, artis praecepta quin multum ad mentem perficiendam conferant, nemo est qui audeat in dubium revocare. Ingenii enim vires illis destitutae praesidiis, quae ars suppeditat, sese quidem exerent, et quae-dam veluti scintillae e vestigio erumpent, at in ea vitia delabentur, quae arcebit solers industria. Utque equus si gradum conferre, si cursum certa lege inire, si cervice erecta et ad dignitatem composita incedere, si in orbem currere, si regredi, si ad equitis nutum mox laeva sese convertere diuturna exercitatione didicerit, intuentum oculos longe maiori voluptate percellit, quam rudit, et imperitus, ita arte ingenium instructum vividiori luce emicabit, quam culturae expers, et inscius. Quorū haec de praeceptis? Ut planum sit quantum eloquentiae et poeticae facultatis leges Graecis debeant, qui primi illas tradiderunt. Nam quoad longissime potest mens mea veterum monumenta respicere, occurrit Empedocles, Corax, Tisias rhetores, et Gorgias Leontinus, e cuius palaestra in pulvrem et solem prodiit Isocrates, cuius ex ore melle suavior effluxit oratio. Plura edidit Dionysius Halicarnasseus, plura Iulius Pollux in eo libro, quem ὄνοματικον inscripsit. Quis vero ingratu queat silentio prae-terire Longinum et Aristotelem, quorum uterque adeo sublimia, adeo apta praecepta protulit, ut quotquot postmodum sunt idem opus agressi, licet aliquid immutarint, omnem tamen ab illis disserendi rationem expresserint? Überrime, non diffiteor, de oratore, de perfecto genere dicendi, de inventione, de partitionibus oratoriis, de topicis disseruit Tullius, plurima in oratoriis institutionibus complexus est Quintilianus: at quae graeca eruditio in utroque, quot aristotelicae definitiones, quot voces, for-maque dicendi prorsus hellenicae conspiciantur, primo intuitu legenti innotescet.

Nec vero praeceptis modo, sed nominis fama atque exemplis ad has nobilissimas artes Graeci reliquos informarunt. At cuius nomen prius honoris causa referam? Haeret anceps animus, quum tot in dicendo principes, omnibusque ad eloquentiam naturae muneribus comparati occurant, qui quum aurea eadem aetate florerent, ideo Decas Attica appellantur. Quis enim Demade fusior, quis Pericle vehementior, quis Phocione in diluendis criminibus acrior, quis Aeschine, Isaeo, Hyperide uberior, qui eloquio quidquid optarunt, sunt assecuti? Nos vero ad illud Athenarum decus et eloquentiae iubar, ad Demosthenem rapimur admiratione, cuius nomen, donec virtuti honor tribuetur, subli-


miori laude succrescit, omniumque per ora, ut attici eloquii princeps et parens feretur. Me sane verba deficiant, si eximiam eius in dicendo dignitatem, in adversariis refellendis acumen, in re evincenda robur, in omni denique elocutione ubertatem, et copiam nitar praeconiis exornare. Quid si Philippus ille macedo, quem toties atheniensis orator verborum facibus iaculisque perculerat, divini vim eloquii suspiciens, Demosthenem cum Isocrate componens dijudicavit, pugiles Isocratem, praeliantes Demosthenem referre? Nec illum fefellit opinio; Isocrates enim, ut subinde animadvertis Quintilianus, palaestrae aptior, quam pugnae videbatur, ut pote qui aures nitore ornatus, numerorum suavitatem detineat, et in florentissima exornandi segete immoretur, Demosthenes vero in acie constitutus eminus areu, minus districto gladio decernit. Hanc enim virilis eloquentiae laudem Demostheni prae ceteris oratoribus omnes uno ore impertuntur. Quum enim difficillimo tempore verba ad eos cives Atheniensis actor caesarum haberet, qui ingenio vafro, animoque supra quam cuique credibile est, versipelli forent, qui desidia languentes, viribus fracti, opibusque ad bella administranda destituti omnem dimicandi tumultum refugerent, iacentes tamen erexit, ad arma capessenda excitavit, et bellico aestuentes furore in hostium turmas immisit.

Ecquis vero demirantis animi sensus queat cohibere, quum omne tullianae elocutionis deus demosthenico exemplo noverit comparatum? Nemo enim saepius graecas oratione elata voce efferre, nemo impensiori solertia easdem vertere consuevit, quam Tullius. Quaenam vero attici oratoris vividior imago nobis potest intuentibus obiici, quam Tullius, quem romanum Demosthenem iure censeret? Fortuna quoque, ludum insolentem, ut cecinit Venusinus, ludere pertinax pares et calamitatis, et gloriae in ipsis vices ostendit. Uterque enim novus, uterque humili loco natus, nulla commendatione maiorum ad amplissimos honorum gradus prima aetate est elatus. Senatus gravitatem, iudicium religionem, populi suffragia, quo voluit, uterque duxit, in capitib; iudicium vocatos servavit, impiorum consilia detexit, vitam fortunasque civium a caede et direptione sospitavit. Uterque civium salutis custos, patriae libertatis adsertor et vindicta, civium parens plaudente populo renuntiatur. Eadem vero, quae ambos ad fastigium dignitatis evexerat, eloquentia utrumque turbavit. Tullius enim capite a M. Antonii satellitibus obruncatus, Demosthenes, ne in manus hostiles veniret, veneno fatis occubuit: nec eorum funeri diu superstes atheniensis et romana respublica exstitere. Tullium itaque et eloquio, et vicibus fortunae, iure alterum Demosthenem appellares. Suus quoque est eloquentiae sacrae Demosthenes, suus est Isocrates, suus Aeschines. Iactat sane, suosque res christiana vindices et praecones commemorat Basilium, Gregorium Nazianzenum, illumque aureo dignum nomine Chrysostomum, qui Gainam Gothum ferrum flammarumque minitantem fregit, qui Theodosium leniit, eumque, ne concitatae multitudinis cruore manus inquinaret, coercuit, cuius eloquii vis a circensibus ludis ad sacros conventus plebem traduxit, quo dicente toties in aede est in plausus consur-

rectum, quo demum duce Paulus Segneri institutus ad eam dicendi gloriam pervenit, quae itali Tullii nomen illi comparavit. Ergo apud Graecos natam, apud Graecos adultam, et Graecis in nos profetam eloquentiam iure affirmamus.

(Ad proximum numerum).

A. ANGELINI.



DE GYMNOSOPHISTIS.

De gymnosophistis in Commentario nostro dictum est breviter in huius anni num. III (1); paulo ampliora addere non inutile, imo gratum lectoribus duximus.

Prima eorum mentio iniecta est in historia expeditionis Alexandri Magni, IV. a. C. n. saeculo. Eius scriptores referunt Alexandrum reperisse in India viros vagantes per agros et per silvas, quos hoc nomine donarunt. Audiatur Arrianus (2) prae ceteris fide dignus, laudans Indorum sophistas commentandi causa sub dio ambulantes, qui, ad Alexandri eiusque exercitus conspectum, nihil aliud fecerunt quam terram pedibus pulsarunt, nulla voce emissam. Quum Alexander caussam huius facti per interpres interrogasset, sic ei responsum fuit: O rex Alexander, unusquisque mortalium tantum terrae possidet, quantum hoc est quod calcamus. Tu, homo, ceteris similis es, praeter quam curiosus et iniquus procul a domo tua discedens, tibi et aliis negotium facessis. Sed, exiguo ab hinc tempore moriturus, non plus terrae possessurus eris, quam corpori tuo se-peliendo sufficiet.

Hanc sophistarum sententiam commendavit Alexander: non destitit tamen alia ei contra-ria persequi.

In expeditionis progressu cum Taxilam per-venisset, sophistas nudos conspicatus est; et incredibilem in iis laborum tolerantiam admiratus, aliquem eorum sibi adiungi optabat. At qui inter illos erat natu maximus et cui ceteri parebant, Dandames nomine, respondit neque se ad Alexandrum venturum, neque aliis ut irent permissurum: se Iovis filium esse, perinde ac Alexandrum; nec ulla re ab eo indigere, iis quae haberet contentum. Deinde addidit se videre iis qui cum Alexandro tantum terrarum marisque pervagarentur nihil boni propositum esse, neque ullum ipsorum erroribus finem statui. Nihil itaque se expetere eorum, quae Alexander largiri posset, nec quidquam timere eorum quae Alexander eripere posset: quamdiu enim viveret, Indorum regionem tempestivos fructus statis anni partibus ferentem sibi sufficere; quum vero mori contingeret se a corpore, tamquam a socio non satis aequo, discessurum.

Quae quum audisset Alexander noluit Dan-damem invitum cogere, quod liberum hominem esse intelligeret; potuit tamen id persuadere Calano uni ex sophistis, quem ceteri incontinen-tem praedicabant, acriterque obiurgabant quod, relicta felicitate qua cum ipsis frueretur, alium dominum quam Deum colere susciperet.

Eventus confirmavit praedictionem. Calanus enim in Persidem ductus quum aegrotasset (quod nunquam antea ei acciderat) non patiebatur

(1) Cfr. scr. *De Indorum veterum ascoettis*.

(2) *Anabasis*, lib. VII, cap. 1^o, 2^o et 3^o.

(1) Cf. num. sup.

se ad aegrotantium regulam curari, volebat mori sine ulla mutatione pristinae eius vivendi rationis. Alexander reluctabatur; sed quum eum a proposito removere non posset, rogum quem Calanus petierat parari iussit. Hoc magna pompa erecto, Calanus, veste regia gemmis ornata induitus, comitantibus multis, quorum alii stragula pretiosissima, alii pocula aurea et argentea, alii odoramenta omnis generis ferebant, processit. Sed quum prae morbo incedere non posset, equus ei fuit adductus; et quum nec equum ascendere posset, lectica vectus est. Interea non cessabat hymnos in Deorum laudem patria lingua canere. Ubi ad rogum ventum est, stragula, pocula, odoramenta quae Alexander in rogum coniici iusserat, Calanus aliis atque aliis eorum qui aderant distribuit. Deinde magno deore consenso rogo, se reclinavit in conspectu totius exercitus, servavitque corpus immobile. Omnes admirabantur spectaculum, praeter Alexandrum, qui amici funeri interesse noluit. Simul ac rogo admotus fuit ignis, omnes tubae clangorem ediderunt, universus exercitus paeana conclamavit, et elephantes bellicum fremitum emiserunt in honorem Calani; qui hoc extre-
mum vale ab Alexandro impetraverat.

Hactenus Arrianus de Indis gymnosophistis. Eos autem comparari non posse cum propheticis antiqui foederis et cum monachis et anachoretis christianis evincit nomen ipsum quod habent. Sophistae a Graecis dicuntur viri qui ope dialecticae astruunt quamlibet sententiam, etiam falsam; et Indorum religio (cuius nomine et auctoritate nonnulli eorum sophistae a Graecis dicti sunt) aperte erat falsa. Haec enim nulli revelationi divinae, sed humanis commentis solum innixa erat. Hac duce et magistra, homines singillatim aut turmatim domo exibant, per agros et per silvas vagabantur cogitabundi et naturam contemplantes, sed nunquam ad naturae Auctorem, cuius in eis nulla clara notio inerat, assurgentes. Corporis cupiditates omnis generis compescabant; « sed hoc non est bonum (inquit S. Augustinus *de civitate Dei*, lib. XV, cap. 20) nisi quum fit secundum fidem summi boni, qui est Deus. Indorum gymnosophistae, (addit S. Doctor) qui nudi perhibentur philosophari in solitudinibus, secundum hominem vivunt, non secundum Deum ». Praeterea vita quam gymnosophistae agebant erat errabunda, — et quidem solum ad tempus et nocte plerumque domum redibant, — non vero anachoretica, qualem duxerunt Paulus, Antonius, Pacomius, Ilarion, Benedictus aliquique innumeri christiani, familia et patria extores usque ad mortem. Nec virtutes in gymnosophistis ullae erant. Superbia duce, unusquisque sibimetipsi tantum vivebat, nec amicitia nec caritate cum ceteris coniunctus. Contentionibus et factionibus civilibus omnes favebant, et interdum etiam eas dirigebant.

Narrat revera Arrianus, (Op. cit., lib. VI, cap. 16) Alexandrum capitum damnasse omnes gymnosophistas commorantes in locis finitimis urbi Sindinamae, utpote auctores rebellionis civitatis conterminae.

Utrum vero sophistae de quibus agimus essent omnino γυμνοί, idest nudi, an semi nudi aperte non constat. Hodie gymnosophistae appellantur lingua indica *digambaras*, lingua persica *dervisci*, lingua arabica *fachiri*. I. C.

AMATOR NATURÆ⁽¹⁾

*Non ego surripiam, procerum delapsus in hortos,
Flores, quos hominum sevit alitque manus.
Non aerumnosas te cogam, Flora, per horas
Eniti subolem, prodigiale genus.
Me iuvat umbrosis in silvis roscida serta
Nectere, nativum quae tenuere decus.
Me iuvat et varium mirari veris honorem,
Qui mihi fit virides obvius inter agros.
Inter agros mea stant subrustica tecta, rosetis
Circumsepta, quibus fragrat amoena domus.
Lilia nec desunt, quae crescere Conditor ipse
Iussit, gratuito docta nitere mihi.
Rus vidit Croesus, spexitque; sed ipse rosetis
Decerpsi florem, flosque vacabat acu.*

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Latine conversum ex anglico poematio (sonetto) scripto a G. I. ROMANES.

COLLOQUIA LATINA

Arma scholastica⁽¹⁾.

MICHAEL. — Scholam petentibus nobis in dies singulos ac poene incolentibus, quum instrumenta, ut aliis eiusvis generis artificibus, sua necessaria sint, illorumque appellations quaedam mihi exciderint, oro, quod sine molestia tua fiat, redige illas in memoriam meam et veluti sub unum adspectum subiice universa.

AMBROSIUS. — Non subibunt fortasse animo omnia, quamquam adeo multa non sunt. Verum si quid nesciero, ait Plautinus Pseudotyndarus, id nescium tradam tibi.

M. — Neque ego vertam vitio aut non recordari aut nescire te, quod ipsem vel nesciam, vel non meminerim.

A. — Interroges licet, quo commodius accipias, quae cupis.

M. — Sic agam, et ad duo capita, quo distinctius res deducatur, argumentum tuum revocabo.

A. — Ad quae?

M. — Scholastici aut legunt aut scribunt; quo circa duorum generum instrumentis indigent, alteris quae ad lectionem ipsis inserviant, alteris quae ad scriptionem. Videorne opportune distribuisse?

A. — Et valde quidem.

M. — Enumera iam quae referuntur ad primum genus.

A. — *Liber, libellus sive enchyridion, codiculus;* quod si ea tibi solum legere occurrant quae

(1) Ex opere IACOBI PONTANI, cui titulus *Progymnasmatum latinitatis* (Monachii MDCX). — Passim retractavit I. F.

breviter et negligenter sint adnotata, accuratius potius digerenda, praे manibus *adversaria* (orum. n. pl.) habes, ita, ut memini, dicta sive quod quum veteres ex altera tantum libri scriberent parte, in his etiam a tergo scriberent, unde et *opistographa* graeca voce appellata quoque sunt, sive quia assidue scribentibus obversarentur, quia adversus posita (1). Ne tamen ea confundas cum *protocollo* seu *protocollo*, quae vox, a primo notariorum exemplari succinte notato deducta, ei volumini papyraceo vulgo tribuitur, in quo quidem brevis rerum scriptarum notitia colligitur. Spectant ad haec, eiusvis sint generis, *pagina, pagella, margo*, seu ora libri, *involutrum* seu *operculum*, unde vestiuntur libri, ut ab iniuria vetustatis et pulverum conserventur; quod etiam *manuale* appellari potest, *vaginae ligneae* illius ad instar, in quam liber circumferendus includebatur, ne chartae attritu tererentur (2). Ad haec pariter *filum, acum, ceram* et *gluten* illud librarium, uno verbo *bibliocollam*, quorum non infrequens usus, referre potes. Eodem pertinet *pluteus*.

M. — Quid est pluteus?

A. — Pluteorum aliis dicitur *armarium*, sive *repositorium librorum*, qui tamen etiam in *forulis* sive *loculis* reponuntur. Alius est *tabela*, seu *scrinium*, quod sibi scribentes subiiciunt; barbaris *pulpitum*.

M. — Habeo ista; procede ad cetera.

(Ad proximum numerum).

(1) Italice *giornale, libro di memorie, stracciafoglio*.

(2) Cfr. *Lemmata* apud *Martial.* 14, 84.

OSTIENSES MEMORIAE.

APUD Ostiensem portum Augustinus doctor suum dolorem in fletum effudit, quem nulla deinceps oblivio delebit. Melius itaque quam Tusculanum rus vel Tiburtinum, aliaque omnia quae circum Urbs nostra immortalis habet, Tiberinum ostium petendum philosophis est, quibus meditari placeat Augustini scripta, ut ingens inde solarium sibi adipiscantur.



Roma proficisciens viator Caii Cesti pyramidem ipso in Ostiensis viae limine conspiciet. Ex porta Ostensi vetus traditio docet Petrum et Paulum ad martyrium eductos. Iuxta sacellum ad viae laevam exstructum, Plautillae matronae nobilissimae Paulus occurrisse fertur, eiusque ex manibus vitam accepisse qua sub gladio constitutus oculos sibi cooperiret.

Aliud deinde sacellum est huiusmodi memoriae dicatum, ubi Petrus Paulum salutavit antequam ille in Ianiculum montem, hic ad Aquas Salvias pergeret viam.

Post mille passus ab Ostensi basilica dividitur quidem via: Laurentina ad Aquas Salvias dicit, dextera vero per desertum romanum agrum Ostiam versus progreditur; exinde per aequam semper planitem ad mare pergit. Ostiam novam quum transgressus fuerit viator, ad veteris oppidi rudera veniet. Reliquias ibi diligenter iustatione perscrutabitur, et civile forum, templum Vulcano et multiplici numini sacrum, apud Lucii Apuleii Marcelli mitriacum specum, musivo opere ornatum, et solis et lunae imaginibus, thermas, theatrum, vigilum stationem, Cereris forum, horrea, ollas, domus privatorum, Caesarum monumenta.


Abest hodie mare, cuius undae, Virgilio canente, pulsabant olim domus, quum naves Aegyptiae triticum et merces Romam adveharent.



Ancus Marcius rex posuit portum urbis ditissimum, classis Romanae stationem, alterutrius quaestoris Italici sedem, quae crevit semper et aucta est quoadusque nimia Tiberis alluvione praepediente carinas, paulo longius Claudius imperator ostiensem novum exstruxit navibus refugium.

De christiana fide ibi primum nuntiata deficiunt notitiae; sed Petrus per eam transiisse antequam Romam veniret traditur. Ad Ostiam autem Claudio imperante, SS. Cyriacus episcopus, Maximus sacerdos, Archelaus diaconus, Aurea virgo, loci patrona, martyrio donati sunt.

Saeculis III et IV maximo splendore Ostiensis urbs enituit. SS. Apostolis et Precursori templum Constantinus consecravit. At brevi recessit fortuna, quum Gothi praesertim Vitige duce, eam occupassent. Gregorius IV, in ruderibus veteris oppidi nova moenia constituit, quae tamen brevi Turcarum incursus diripuerunt, vastarunt.




Castrum Roverianum Ostiense.

Quare Richardus, Anglorum rex, cui « a leonino corde » fuit cognomen, quum Ostiam appulisset derelictam omnino urbem invenit.

Novum vero oppidum Eugenii IV pont. fumgam commemorat, quum a seditiosis civibus aufugit, atque Iulii II virtutem recolit.

Quies deinde per loca illa facta est usque dum, XVIII labente saeculo, effossiones initae sunt, deductaque inde signa, marmora, tempula, quae veteris urbis opulentiam satis ostendunt. Sed thesauri plerique ad Vaticanum vel Lateranense museum delati.

Modo igitur nil fere nisi rudera ubique, ar-



Agrippae theatri Ostienses ruinae.

boribus et herbis passim obruta apparent, Tiberisque aquae limosae et densae, quae veteres memorias saepe saepius cooperiunt. Bovacciana turris emergit, quasi ea ex qua Phari noctibus ad regendos navium cursus ignes emicabant, sed ipsa quoque tristis et moesta. Gravius quidem aedificium Ostiae novae instat, cuius in aulis musei ad instar, quae meliora contigit ex effossionibus modo reperire, disposita sunt. Castrum gentis Roveriana ubique praesefert insignia, ex eoque inde tholum Sancti Petri, hinc maris latitudinem oculi spectant. Hinc Iulii II Pontifex navem praetoriam concendit, ut cum Romana classi contra Gallos Ianuam proficisceretur.

Novi insuper Ostiensis oppidi parvum templum conditum illuc dicitur, ubi domus Sanctae

Monicae fuit, atque eius corpus tot per saecula quievit, donec Eugenius IV Papa Romanum transtulit. Desunt profecto certa loci documenta; vivit tamen matris dulcisissimae recordatio, eiusque filii, qui in Africam quum redire constituisset ut Deo reliquam vitam consecraret, hac in terra cum ea superma habuit colloquia, unde animum magis excitavit ad aeternam sapientiam cognoscendam; heic ab illa discessit, quae procul ab urbanis rumoribus in pace Christi mortem exspectavit, unde corpus dissolveretur animusque ad caelum evolaret.



IULIUS VERNE.

AMBIANI, Gallica in urbe, anno M DCCC XXVIII Iulius Verne, scriptor ille notissimus, ortum duxit, ubi hodie vitam finivit. Mirabile dictu! Vir, qui tot ac tanta omnium audacissimorum heroum itinera terra marique caeruleo finxit et descripsit, natalem urbem per raro reliquit!

Vis mentis praefervida ei omnium divitiarum loco fuit. At paullatim divitias quoque ipsas comparavit; nullius enim inter nostrae aetatis scriptores tam late atque multipliciter editi sunt libri et diffusi ubique ut Iulii huius. Opera enim eius plus quam triginta, in omnes omnium gentium sermones conversa, apud omnes gentes nota et perfecta sunt.

Sed plerique lectores, quamquam non omnes, iuvenes fuerunt et adolescentuli, quos maxime decet tantum poetam vita funetur deflere. Non enim Graecorum animos *rapsodum* cantus Troiani belli Homerica carmina recinentes ita delectabant, ut pueros nostros et adolescentes Iulii fabulae mirificae, aptae profecto annis suis, quae tamen novo argomento iterum comprobant quanta quavis aetate sit poesis vis, tum delectandi tum effigendi potens res novas, tum curas animosque relaxandi.

Quot pueri et adolescentuli Iulii huius causa scholastica pensa neglexerunt, atque a disserente magistro averterunt aures, ut auctoris sui librum clam parentibus, clam ipso magistro prosequerentur! Quot acceptae poenae et castigationes Iulii suasionibus tribuendae! At simul quanta laetitia animis comparata, quanta iucunditas tenellis donata mentibus, quanta praestita documenta, audaciae, patientiae, virtutis, sapientiae, prudentiae omnisque fortitudinis!

Iulii Verne enim in libris, etsi fabulosa multa, multa simul sapientissima sunt tradita. Quinimo iuvenum mentibus demandata iis est veluti summa totius doctrinae, quam hodierna humanitas est assequuta, sive in matheseos sive in physicis disciplinis, sive in ipsa rerum naturae investigatione. Ita plane nullus unquam scriptor ut

Iulus adeo plenam meritus est laudem illam Horatianam, quam Venusinus tribuit vati, qui utile dulci miscuisset.

Neque id tantum; nam eius heroes et personae quae per narrationes eius moventur, nulla molli cupiditate, nulla imbecillitate afficiuntur; sed strenui semper exstant et fortes, contra omnes res adversas firmi, et iustitiae fideles et vindices culparum; itaque animos percellunt ut quondam profecto in veterum tragoeidiis et historiis heroes vel duces magnanimi, quorum ad exempla iuventus passim pertrahebatur.

Quamquam satis distincti et seiuncti tum ab Homericis et Virgilianis ducibus, tum a crucesignatorum imperatoribus, vel ab errantibus medii aevi equiti-

bus Iulii heroes apparent, et qui nostrae aetati et ingenio adamussim convenient. Ut enim illi inter clades hostium vel inter Turcarum fugas, singularibus proeliis suam gloriam comparabant, ita isti per inventa audacissima, per ingenuissima studia disciplinarum, per impervia itinera, contra fortunam et naturam decertantes, maxima atque imperiturae gloria fastigia arripiabant.

Quibus novae humanitatis aptissimis stimulis legentium ita animos Iulus fovit, aluit et docuit, ut non raro contigerit alares iuvenes eius incitatos scriptis, perseveranti studio ea adamussim confecisse opera, quae Iulus ille veluti fabulosa effinxerat.

Hic igitur, dum tot scriptores malas parare illecebras tum versibus, tum soluta oratione nituntur, et artem suam lucri causa prostituere videntur, in optimam iuvenum eruditio nem suo ingenio et poetica vi usus est, iureque laudem est meritus, quam Gauthierius ei tribuit: «Iulus hic inter nostros fere optimus est recensendus».



Vixit cultu simplici et modesto, nativa plerumque in urbe, quam tamen saepe relinquebat ut marina itinera, naviculam quamdam suam consenserit, expleret, Britanniae vel Angliae litora lustraret, et longas horas navi inclusus scribendo dederet.

Annorum non brevem quidem cursum explavit omnium bonorum luctu, maxime vero illum, quos tamdiu, veluti benevolus avus, mirabilibus historiis delectando docuerat.

IULII VERNE PROPHETIAE.

VATIS sacrum nomen non sine causa est antiquitus poetis tributum, quippe quibus praefervidis ingenii vi et aestu ea saepe contigit divinare et praenunciare, quae diuturnam saepe post aetatem fieri oportebat.

Quod plane mirum non est; nam ingenio praelato et perillustri humanae historiae cursus recolenti ac perpendenti eae facile notae in-

notescunt, unde, legibus eventuum humanorum aëstimatorum, futura prospicere non sine quadam certitudine licet.

Haec plane Iulio Verne, mox vita functo, mirum in modum contigisse videmus, cuius effecta, fabularum ad instar, opera, itinera, audaces fortesque viri non semel nec bis, data occasione, revera in posterum complerunt.

Bene ominatus profecto scriptor erat, illa dum effingit, et divino forte flamme illustratus!



Ostiensis fori ruinae.



Aedificiorum Ostiensium reliquiae.

Qui enim praedixerat iter omne circa orbem octoginta dierum spatio fore ut expleretur, Lutetienses viatores duos vident, qui illud vix duabus mensibus compleverunt. Profecto ipsius prophetae vaticinium victum re fuit et superatum!

Hatteras illum centurionem ab eius mente creatum centum et amplius aemuli nordicum versus polum sequuti sunt; imo Belgica navis ea ad unguem persulcasse itinera videtur, quae nautae illi in «glaciali sphinge» fabulosi fecerant.

Nonne in glacie monte aquis compulso Nansenius, Danus audacissimus, ut heroes illi ex Regione Villorum (*Pays de Pellisses*), longam

viam est dimetus? Quae Nemo navarcha ferox et atrox, pertenavit navicula sua ferrea in mari demersa, ea Americanos, Anglos, Gallos, Italos doctos viros ita incitarunt, ut ubique rates exstructae sint, quae sub undis progrediantur.

Hodierna tormenta bellica maxima, quae ad viginti usque milia passuum missilia iactant, *Chalybicae Urbis* arma proprius aemulantur, atque tormentum illud incredibile quod suum missile ad lunam usque iactavit, imitantur. Haec vero dum Eduardus Weston talia iam missilia invenit, quae, pessimo aere repleta, gentes aut suffocent aut somno obruant.

Aërei globi, quos Iulius manus hominum directos effinxit, Santos-Dumontii opera revera, ducis nutu, per aërem mota sunt; moxque Henricus de la Vaulx super internum mare aërea navi pertransire ausus est, dum centuriones Gallici tres omnem Africam hoc modo lustrare cogitant.

Quid plura? Nec Argentinus deest audacissimus Martinez doctor, qui terram omnem fovea perfodere a vertice ad verticem molitur, ut quae intus reponentur exploret.

Haec vero omnia nec poeta nec vati satis erant, qui stupefactis nepotibus nova semper eaque miranda late praenunciabat; et thelephones et machinas illas quibus per domos absque scalis ascendimus, et ferrea itinera per plurima deducenda quaquaversus, ut per Siberiana deserta factum est. Iamque Alexandria cum Africae capite coniungetur, atque in latitudinem, quasi complexu ferreo, deducta via Ierusalem, Beiruth, Bysantium attinget.

Cuniculi sub mare effossi freti Gaditani oras coniungent, Angliamque Galliis desponsabunt, Belgicos Hybernis. Neque timuit huiusmodi maiora vates proferre, fore ut nempe audacissimi viri Europam et Americam per Atlanticum Oceanum coniungant; quod opus, ut nunc sunt machinae et opes, vix triginta annorum spatio perfici poterit.

Haec omnia et alia multa, quae praelo edere ille non dubitavit, si idem fatum revera obtineant, quod reliqua eius vaticinia, iure conquestum eum dicemus, qui, etsi ad multam senectutem pervenisset, lamentabatur tamen se per paulum vixisse, cui tot ac tanta miracula perspicere non esset datum; non alias profecto quam antiquus ille Theophrastus, qui naturam materteram incusabat, quae corvis et cornicibus longiore vitam quam hominibus concessisset.

*Dum iuvat et vultu ridet fortuna sereno
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.*

OVID.

*Rebus in angustis facile est contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.*

MARTIAL.

ACTA PONTIFICIA

I.

SS. D. N. PII PP. X

ALLOCUTIO

habita in Consistorio d. XXVII mens.
Martii an. MDCCCCV.

Venerabiles Fratres,

Amplissimum coetum vestrum, tertium, pro officiis munere, allocuturos, piget Nos admodum ea iterum afferre argumenta, quae non laetitiam faciant, sed moerorem confirmant. Sed nostis optime, hunc esse Dei, provide disponentis, nutum, ut tristibus Ecclesia ne careat unquam, ut nempe eo digna sit Sponso, qui, quo illam sibi exhiberet gloriosam, non habentem maculam, poni voluit in signum cui contradiceretur.

Querebamur ad vos, Venerabiles Fratres, consilia agitari apud Gallos, quae maxime religioni essent infesta: querebamur propositum non eam modo rescindendi pactionem, quam, superiore ineunte saeculo, ad commune religionis et civitatis bonum, Romanus Pontifex ac reipublicae Gallorum moderatores fecerant; sed, lege lata, civilis imperii ab Ecclesia discidium perpetuo sanciendi. Iamvero etsi Nos, omni studio omnique qua licebat ratione, etiam postremis hisce diebus, tantam cladem avertere conati sumus, quin et conari adhuc voluntas est, quum nihil a Nobis longius absit quam velle Nos a pactis conventis eximere; attamen eo res urgetur ardore, ut sit plane pertimesendum, ne brevi ad exitus adducatur. — Gallorum gentis, quam Nos ex animo adamamus, vicem dolens graviter: quidquid enim damni ubivis obveniat Ecclesiae, id experiendo novimus rei quoque publicae detrimentum esse. Teneant hoc probe, non ii modo qui in Gallia catholicarum sunt partium, quibus Ecclesiae defensionem suscipere sanctum esse debet; verum etiam pacis publicaeque securitatis quotquot sunt amatores, ut communis demum studio tantam patriae perniciem prohibeant.

Haec inter, Venerabiles Fratres, contristat adhuc animum immanitas belli, quo extremae iamdiu Orientis orae caedibus, incendiis, sanguine funestantur. Quot ibi rerum lacrymae! — Vices Illius in hisce terris gerentes, qui auctor est et conciliator pacis, Deum, in spiritu humilitatis, enixe obsecramus ut principibus ac populis quae ad concordiam pertinet consilia benigne impertiat. Tot plane tantaque genus ubique hominum conficiunt mala, ut non sit opus armorum etiam strepitu perturbari et contentione bellorum!

Quantum pacis studio ex omni parte sit tribendum sensere nuper feliciter qui Brasiliam, Peruviam, Bolivię supremo imperio moderantur. Exortis enim de praescribendis regendisque finibus controversiis inter foederatas Brasilie civitates et utramque gentem, peruvianam videlicet ac boliviensem, periclitari vetus concordia videbatur. At vero, qui publicae rei regundae praesunt, sapienti equidem saluberrimoque consilio, contentionem alieno iudicio terminandam decreverunt. Qua in re quum pru-

dentissime reputarent, tutandae pacis officium Pontificatus maximo innatum fere esse atque insitum; communi sententia, Sedis huius Apostolicae Nuntium virorum coetu praefecerunt, quorum esset causa suffragiis derimenda. — Quae dum vobiscum, Venerabiles Fratres, laeto animo communicamus, dietarum gentium Praesidibus gratias publice referre libet, quod honorem eiusmodi Nobis et Cathedrae Beati Petri habere voluerint.

Quam coniunctionem Nobiscum, quae maximarum utilitatum conciliatrix est, utinam pro merito aestimarent qui Aequatoriana Reipublicae regimine potiuntur. Scilicet Romani Pontifices decessores Nostri, atque in primis Pius IX sanctissimae recordationis, caritatem suam in aequatorianum populum multis magnisque argumentis demonstrarunt. Quid vero? Eas modo leges ibi latas novimus, quae ad catholicam Ecclesiam et antiquam patrum religionem non vexandam solum sed pene interimendam sanctitas quis dixerit. — Nos, ne deesse muneri videamur, illatum religioni vulnus non dolemus modo, sed publice arguimus; sperantes fore ut consideratoria consilia ab iis, quorum interest utilitati suae gentis prospicere, capiantur. Episcopos interea et catholicos universos aequatorianae gentis non demittere animum iubemus, sed magno erectoque religionem tueri debitamente illi adserere libertatem, nulla tamen tentata via, qunam ordo ac iustitia intercludat. Adehit conantibus Deus, qui mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.

Ceterum, Venerabiles Fratres, non sine praemio futuram confidimus, quam catholici universi testati sunt pietatem in augustam Dei Matrem, quum superiore decembri mense quinquagesimus annus impletus est a solemnis promulgatione decreti, quo Eadem primaevā labē immunis edicebatur. Virgo suavissima, quae Ecclesiam plane diligit quam acquisivit Christus sanguine suo, optatae pacis gaudia ne diu desideremus efficiet.

Et benedictio Dei Onnipotentis, etc.

II.

SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO

De protonotariis apostolicis, paelatis urbanis, et aliis qui nonnullis privilegiis paelatorum propriis fruuntur (1).

29. — In pontificalibus functionibus eisdem semper interdicunt usus throni, pastoralis baculi et cappae; in Missis autem pontificalibus, septimo candelabro super altari non utentur, nec plurimum Diaconorum assistentia; Presbyterum assistentem pluviali induitum habere poterunt, non tamen coram Episcopo Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior; intra Missam manus lavabunt ad Ps. *Lavabo* tantum. Loco *Dominus vobiscum*, numquam dicent *Par vobis*; trinam benedictionem impertinentur numquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini et Adiutorium*, sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperi, cantabunt formulam *Benedic nos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt assistente Episcopo loci Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, cuius erit eam impertiri. Coram iisdem, in pontificalibus celebrantes, Mitra simplici solummodo utantur, et dum illi sacra sumunt paramenta, aut solium petunt vel ab eo recedunt, stent sine Mitra.

(1) Cfr. num. sup.

30. — De speciali commissione Ordinarii, Missam quoque pro defunctis pontificali ritu celebrare poterunt Protonotarii Supranumerarii, cum Absolutione in fine, Mitra linea utentes; nunquam tamen eamdem Absolutionem impertiri illis fas erit post Missam ab alio celebratam; quod ius uni reservatur Episcopo loci Ordinario.

31. — Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induit, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere (non tamen Crucem pectoralem et Annulum) aliquem clericum in *Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros; Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvum cum Manutergio in lance adhibere; sed ante *y. Communio* manus ne lavent. In aliis Missis lectis a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae: in Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone, Urceo cum Pelvi, ac lance ad Manutergium, nisi ex statutis vel consuetudine in propria ecclesia haec prohibeantur.

32. — Canonico Protonotario Apostolico Supranumerario Pontificalia peragere cum ornamentis ac ritu superius enunciatis fas non erit, nisi infra terminos propriae dioecesis; extra autem, nonnisi ornatu et ritu, prout Protonotariis *ad instar*, ut infra dicetur, concessum est.

33. — Quum tamen Canonicos trium Patriarchalium Urbis, ob earumdem praestantiam, aequum sit excelle privilegiis, eo vel magis quod in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegiorum exercere nequeunt, illis permittitur, ut in ecclesiis totius terrarum orbis, impetrata Ordinariorum veniam, ac Praesulum ecclesiarum exemptarum consensu, Pontificalia agant cum ritu atque ornamentis nn. 27, 28, 29 recensitis. Insuper, licet aliquis ex ipsis inter Praelatos nondum fuerit adscriptus, Palmatoria semper, etiam in privatis Missis uti poterit.

34. — Recensita haec tenus privilegia illa sunt quibus dumtaxat Protonotarii Apostolici Supranumerarii fruuntur. Verum, quum eadem collective coetui Canonorum conferantur, Canonici ipsi, tamquam singuli, iis uti nequivunt, nisi Praelati Urbani fuerint nominati et antea sua ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis et auspicatae iam possessionis, atque inter Praelatos aggregationis, ut num. 14 dicitur, testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint; coram ipsis Collegii Decano, vel per se vel per legitimū procuratorem, Fidei professionem et fidelitatis iuriurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento, propriū Ordinarium certiorem fecerint. Quibus expletis, eorum nomen in sylloge Protonotariorum Apostolicorum recensebitur.

35. — Canonici ecclesiarum extra Urbem, qui ante Nostri huius documenti Motu Proprio editi publicationem, privilegia Protonotariorum, una cum Canonici, sunt assequuti, ab expeditione Brevis, de quo supra, num. 14, dispensatur; iuriurandum tamen fidelitatis coram Ordinario suo praestabunt infra duos menses.

36. — Collegialiter tamquam Canonici pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induiti adstantes non alia Mitra utantur, quam simplici, nec unquam hoc et ceteris fruantur Protonotariorum insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, neque in choro cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adstantibus quo in easu, quum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

37. — Protonotarius Supranumerarius defunctus efferti aut tumulari cum Mitra non poterit, neque haec eius feretro imponi.

38. - Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive infra, sive extra Dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituant.

39. - Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

40. - Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii convenient, non idcirco Collegium praelatitium constituere; verum quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificia Cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censemur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

41. - Si quis (exceptis Canonicis trium Patriarchalium Urbis) quavis ex causa Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativa Protonotarii Apostolici Supranumerarii adnexa sint, ab eiusmodi titulo, honore et praerogativis statim decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

III. — Protonotarii Apostolici ad instar.

42. - Inter Protonotarios Apostolicos *ad instar* Participantium illi viri ecclesiastici adnumerantur, quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea Dignitates et Canonici alicuius Capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privilegia Protonotariorum, cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab eadem Apostolica Sede collata. Canonici enim, qui aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotarii aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

43. - Qui Protonotarii Apostolici *ad instar* tamquam singuli iuribus honorantur, eo ipso sunt Praelati Domus Pontificiae; qui vero ideo sunt Protonotarii quia alicuius ecclesiae Canonici, Praelatis Domesticis non adnumerantur, nisi per Breve Pontificium, ut num. 14 dictum est. Omnes Protonotarii *ad instar* subiecti remanent, ad iuris tramitem, Ordinario loci.

44. - Beneficia illorum, qui Protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent tamquam Canonici alicuius Capituli, si vident extra Romanam Curiam, Apostolicae Sedi minime reservantur. Beneficia vero eorum, qui tali titulo et honore fruuntur, tamquam privata persona, non poterunt nisi ab Apostolica Sede confiri.

45. - Quod pertinet ad habitum praelatitium, *pianum* et communem, stemmata et choralia insignia, habitum et locum in Pontificia Cappella, omnia observabunt, ut supra dictum est de Protonotariis Supranumerariis, nn. 16, 17, 18, 19, 20.

46. - Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati oratorii, conficiendi acta Beatificationis et Canonizationis, passivae electionis in Conservatores, certisque; item recipienda Fidei professionis, reverentiae ad Crucem, thurificationis, quibus omnibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, ut supra nn. 21, 22, 23, 24, ac iisdem sub conditionibus.

47. - De venia Ordinarii et Praesulis consensu ecclesiae exemptae, extra Urbem, Missas, non tamen de requie, pontificali ritu et ornatu celebrare poterunt, prout supra notatur, ubi de Protonotariis Supranumerariis, num. 25, 26, 27, 28, 29; verum his legibus: Nec Faldistorio nec Gremiali unquam utantur, sed una cum Ministris in scanno, cooperito panno coloris diei, sedeant; caligis et sandalis utantur sericeis tantum, cum orae textu item serico flavi coloris ornato, et similiter sericis chirothecis sine alio ornamento; Mitra simplici ex serico damasceno, nullo ornamento, ne in oris quidem distincta, cum rubris laciniis ad vittas. Extra Cathedrales Ecclesias tan-

tum, assistentem Presbyterum habere poterunt pluviali indutum, dummodo non assistat Episcopus Ordinarius aut alias Praesule ipso Episcopo maior. Crucem pectoralem auream sine gemmis gerent, apensam funicolo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto. Omnia, quae in Missa cantanda vel legenda sunt, nunquam ad scannum, sed ad altare cantabunt et legent. Manus infra Missam lavent tantum ad Ps. *Lavabo*.

48. - Poterunt insuper, pariter extra Urbem, devenia Ordinarii et cum Praesulis ecclesiae exemptae consensu, Mitra, Cruce pectorali et Annulo ornati, ad scannum, more Presbyterorum, celebrare Vespertas illius festi, cuius Missam ipsi pontificaliter acturi sint, vel peregerint (absque benedictione in fine). Iisdem ornamenti eodemque ritu uti licebit, de speciali tamen commissione Ordinarii, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio qualibet Praelato celebretur, itemque in benedictione cum Sanctissimo Sacramento solemniter (non tamen trina) impertienda, in Processionibus, et in una ex quinque absolutionibus in solemniis exsequiis, de quibus in Pontifici Romano.

49. - Romae Missam lectam, aliqua cum solemnitate celebrantes, si praelatitio habitu sint induti, ea retineant, quae de Protonotariis Supranumerariis n. 31 constituta sunt; extra Urbem, de speciali tamen commissione Ordinarii, eodem modo se gerent; aliis in Missis et functionibus, tamquam Praelati Domestici, ut n. 78, Palmatoriam tantum, si velint, adhibeant.

50. - Canonicon coetui adscriptus, cui hactenus recensita Protonotariorum *ad instar* privilegia concessa sint, tamquam privata persona iisdem uti velit, prius Breve Pontificium, ut dicitur nn. 14 et 43, de sua inter Praelatos Domesticos aggregatione, servatis servandis, obtineat, simulque suae ad Canonicum datum Dignitatis promotionis, initaeque possessionis ac inter Praelatos aggregationis testimonium Collegio Protonotariorum Partic平antum exhibeat. Tum coram ipsis Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem ac fidelitatis iusiurandum, de more, praestet; de his denique exhibito documento proprium Ordinarium certiorem faciat. Qui vero tamquam privata persona huiusmodi titulum rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo adnexus uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato Collegio exhibuerit, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum, ut supra, ediderit, de hisque omnibus authenticum documentum suo Ordinario attulerit. Haec ubi prae- stiterint, eorum nomen in syloge Protonotariorum recensebitur.

51. - Qui ante has Litteras, Motu Proprio editas, iuribus gaudebant Protonotarii *ad instar*, tamquam alicuius ecclesiae Canonici, a postulatione Brevis, de quo in superiori numero, dispensantur, quemadmodum et a iure iurando, ut ibidem dicitur, praestando, quod tamen proprio Ordinario infra duos menses dabunt.

52. - Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choribus insignibus, nisi tamen alia vestis, tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Rocchetti e Mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permitta; alias enim Protonotarius, habitu Praelatitio assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones acquiret, quae sodalibus acercent.

53. - Collegialiter tamquam Canonici pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti assistentes, non alia Mitra utentur quam simplici, nec unquam hoc aliisve supra memoratis insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in concessionis diplomate aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, ne in choro quidem cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt, Episcopo

solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adstantibus, quo in casu, quum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

54. - Protonotarius *ad instar* defunctus efferi aut tumulari cum Mitra non poterit, nec eius feretro ipsa imponi.

55. - Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive infra, sive extra Dioecesim degant, binas partes exce- dant eorum, qui Capitulum iure constituant.

56. - Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

57. - Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, convenient, non idcirco Collegium Praelatitium constituere; verum, quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificis Cappellis, tunc quasi unum corpus cum ipsis censemur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

58. - Si quis, quavis ex causa, Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativa Protonotariorum *ad instar* adnexa sint, statim ab iisdem titulo, honore et praerogativis decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

IV. — Protonotarii Apostolici Titulares seu Honorarii.

59. - Quum Apostolica Sedes, non sibi uni ius reserverit Protonotarios Titulares seu honorarios nominandi, sed Nuntiis Apostolicis, Collegio Protonotariorum Participantium et forte aliis iamdiu illud delegaverit, antequam de eorum privilegiis ac praerogativis aliquid decernamus, leges seu conditiones renovare placet, quibus rite honesteque ad eiusmodi dignitatem quisque Candidatus valeat evehi, iuxta Pii PP. VII Praedecessoris Nostri Constitutionem « *Cum innumeri* », Idibus decembr. M DCCC XVIII datam.

60. - Quoties igitur de honorario Protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, proferantur, ab Ordinario recognita, testimonia, quibus constet indubie: 1.º de honesta familiae condizione; 2.º de aetate saltem annorum quinque et viginti; 3.º de statu clericali ac caelib; 4.º de Laurea doctoris in utroque, aut canonico tantum iure, vel in S. Theologia, vel in Scriptura; 5.º de morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes aestimatione; 6.º de non communibus in Ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis; 7.º de idoneitate ad Protonotariatum cum decore sustinendum, habita etiam anni census ratione, iuxta regionis cuiusque aestimationem.

61. - Quod si huiusmodi Protonotariatus honor alicui Canonicon coetui collective ad Apostolica Sede conferatur (quod ius, collective Protonotarios nominandi, nemini censeri posse delegatum declaramus), eo ipso, quo quis Dignitatem aut Canonicatum est legitime consequetus, Protonotarius nuncupabitur.

62. - Pariter, qui Vicarii Generalis aut etiam Capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis; hinc, si Dignitate aut Canonicatu in Cathedrali non gaudeat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatitio, qui infra describitur, iure utetur.

63. - Protonotarii Apostolici Titulares sunt Praelati extra Urbem, qui tamen subiecti omnino manent locorum Ordinariis, Praelatorum Domus Pontificiae honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur.

64. - Extra Urbem, dummodo Summus Pontifex eo loci non adsit, in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatitio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (nunquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, Roccheto, Mantelletto et bireto, absque

ulla horum omnino parte, subsuto aut ornamento alterius coloris.

65. — Extra Urbem, praesente Summo Pontefice, descripto habitu indui possunt, si hic tamquam chorale insigne concessus sit, vel si quis uti Vicarius adfuerit.

66. — Habitu paelatitio induti, omnibus Clericis, Presbyteris, etiam Canoniciis, singulatim sumptus, praeferantur, non vero Canoniciis, etiam Collegiatum, collegialiter convenientibus, neque Vicariis Generibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, et Abbatibus, ac Praelatis Romanae Curiae; non genuflectunt ad Crucem vel ad Episcopum, sed tantum se inclinant, ac dupli ductu thurificantur.

67. — Super habitu quotidiano, occasione solemnis conventus, audientiae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice, zonam tantum sericam nigram, cum laciniis item nigris, gestare poterunt, cum pileo chordulis ac floccis nigris ornato.

68. — Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemnis et sex hinc sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris.

69. — Si quis Protonotarius Titularis, Canonicatus aut Dignitatis ratione, choro intersit, circa habitum se gerat iuxta normas Protonotarii *ad instar* constitutas, num. 52, vestis colore excepto.

70. — Sacris operantes, a simplicibus Sacerdotibus minime differant; attamen extra Urbem in Missis et Vesperis solemnibus, pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, Palmaria tantum ipsis utenda conceditur, excluso Canone aliave pontificali supellectili.

71. — Quod pertinet ad acta in causis Beatificationis et Canonizationis, et ad passivam electionem in Conservatores ac cetera, iisdem iuribus gaudent, quibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, uti nn. 23 et 24 supra dictum est.

72. — Beneficia eorum qui, tamquam privatae personae, Protonotariatum Titularem assequuti sunt, non vero qui ratione Vicariatus, Canonicatus sive Dignitatis eodem gaudent, ab Apostolica tantum Sede conferantur.

73. — Noverint autem, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, convenient, non ideo Collegium constituere.

74. — Tandem qui Protonotariatu Apostolico honori donati sunt, tamquam privatae personae, titulo, honoribus et privilegiis Protonotariatus uti nequeunt, nisi antea diploma suae nominationis Collegio Protonotariorum Partecipantium exhibuerint, Fideique professionem, ac fidelitatis iusurandum coram Ordinario, aut alio viro in ecclesiastica dignitate constito emiserint. Qui vero ob Canonicatum, Dignitatem, aut Vicariatum, eo potiti fuerint, nisi idem praestiterint, memoratis honoribus et privilegiis, quae superius recensentur, tantummodo intra propriae dioecesis limites uti poterunt.

75. — Qui secus facere, aliisque, praeter descripta, privilegiis uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso honore et iuribus Protonotarii privatos se sciant: quod si Protonotariatum, tanquam privata persona adepti sint, etiam titulo.

76. — Vicarii Generales vel Capitulares, itemque Dignitates et Canonici nomine atque honoribus Protonotariatus titularis gaudentes, si, quavis ex causa, a munere, Dignitate aut Canonicatu cesserent, eo ipso, titulo, honoribus et iuribus ipsius Protonotariatus excident.

(Ad proximum numerum).

|||||

DIARIUM VATICANUM.

(Die xxi mens. Martii - d. xx mens. Apr. m DCCCCV).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui cuiusque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta

admissionis diem: Legati omnium gentium apud Apostolicam Sedem ob diem Pontificis nominalem omnia et vota offerentes; Lhotarius de Metternich princeps; S. Caroli Dux foemina; Alinconiensis dux; Gallorum atque Austriacorum manum qui Romam peregre petierunt; Meyer dynasta, Foederatarum Civitatum Nordicea Americae iam apud Italos, nunc apud Russos legatus; de Connaught dux Anglus eiusque familia; Robertus Parmensis dux cum uxore et filiabus; Paquet doctor, protonotarius apostolicus, catholici athe næi Lavalensis in Canada decanus; Paulus de Bernabé dynasta, Hispanorum ad Anglos legatus; Collegii Pii Latini-Americanus alumni ab eño Purpurato Patre Iosepho Vives y Tuto coram adducti; alumni Urbani Collegii de Propaganda fide.

Pontificiae electiones.

Rmns d. Franciscus Zapletal, iam alter a Praeside ecclesiastici collegii Bohemicie de Urbe, inter Protoneotarios Apostolicos Supranumerarios ad instar participantum refertur.

Vita functi viri clariores.

Gravis annis Diakovar in urbe placide quievit Iosephus Georgius Strossmayer, episcopus Sirmien, et Bosnien, cuius apostolicam vitam his verbis complecti reapse possumus, quae suprema ab eo dicta feruntur: « Pro Deo ac patria omnia ». Natus erat Eszek die IV mens. Febr. an. M DCCC XV; episcopus creatus die X mens. Maii an. M DCCC L.

Varia.

— Die XXVII mens. Martii sacrum consistorium habetur, in quo Pontifex eñum Patrem Purpuratum Franciscum Cassetta Episcopum Sabinen. edicit, plures episcopos eligit tum Italicarum tum exterarum dioecesum.

— Die XXVIII in hortis Vaticanis novo aedificio Lapurdensis templi ad instar exstructo, Pontifex, multo adstante populo, benedicit.

— Die XVII mens. Aprilis in Consistorii aula Pontifex sacra litat atque familiae suae addictos Sacra Synaxi reficit.

ANNALES.

Iaponicum bellum.

Quae vota in superiore numero edebamus, ut res in ultimi Orientis regionibus tot vitas hominum misere absumentes tandem aliquando componerentur, ea magno cum gaudio undique renovata vidimus; eoque magis spem concepiimus fore ut honesta pax bello teterrimo succederet, quum a Rooseveltio audivimus, Foederatarum Civitatum Septentrionalis Americae praeside, eam Washingtoni cum Iaponiorum Gallorumque legatis agitari. At Russi ipsi rerum moderatores obstiterunt, qui in incoepitis manere declararunt, victoriamque sibi denique quovis modo paraturos. Quamquam huc usque longe abesse revera apparet: quae enim levia praelia his diebus facta sunt ut Chang-tu e locis Iaponii submoverentur incassum evasere; hostesque, parvis licet itineribus, in dies progrediuntur.

Magna quidem cum anxietate, dum scribimus, navalis pugna exspectatur, quum Russica classis ad Anambas insulas collecta sit, Iaponia contra hinc inde, prouti dictitant, divisa. Dictitant vero; certum enim hoc unum, Togo navarcham cum suis navibus iam a pluribus diebus mari sese commississe neque ullam ultra de se notitiam dedisse. Quis autem Iaponii illius Ulixis consilia novit?

Russicae res.

Interea civiles Russorum res, quae ad tranquillitatem redire videbantur, speciem hanc destituerunt, haud multa fide administratorum collegio ad reformationes adhibito a populo habita, atque hinc tumultis excitatis, inde coniurationibus initis. Haec dum Caesar benevolus profecto se monstrat iuxta populi petitiones, novo edito rescripto, ut unio paretur legatorum populi, qui consilia de populi participatione ad conficiendas leges aperiant.

Balkanici tumultus; Cretensis seditio.

Neque Russica una regio his diebus agitatur; ad Balkanicos enim montes Hellenica gens omnis generis afflictionibus obnoxia, ad ultionem surrexit atque ad facinora non minus quam aemulorum improbanda processit. Ita factum est ut Bulgarorum oppidum quoddam crudeliter igni traderetur, miserique incolae trucidarentur, ea incitatione parta, unde facile coniici licet nova huiusmodi crimina iri patratum.

Cretensi autem in insula seditio, quae di latuerat, palam exarsit ad unionem cum Graecia patria iterum procurandam. Decreto quod Georgius princeps, — qui in recenti apud exteras gentes itinere aperte videt rerum civilium Europaearum moderatores unioni eidem obversari, — promulgavit ut arma deponerentur, incolae ad evertendas res nationibus qui tutelam insulae gerunt se promptos responderunt, vimque militiae, Italorum praesertim qui urbanis rebus advigilant, passim opposuerunt.

Regalia itinera; Gallorum sollicitudines.

Iter quod per Mediterraneum mare Guilelmus Caesar suscepit, necopinatae sollicitudinis causa Gallis fuit, ob visitationem Tingis urbis ab ipso peractam, orationemque habitam libero commercio in Mauritanio regno faventem; eoque magis quod Mauritanorum imperator Gallorum legatum fecisset certiorem, se oblatis ab eo reformationes omnes excipere nequire, praesertim quum sibi esset voluntas pecunias mutuas sumendi ubicumque optimum putaret, easque ad bonum regionis suo nutu erogandi. Oblatae itaque de re rogationes tum in Gallorum tum in Borussorum publico coetu legibus ferendis; at verbis tum Delcassé tum Boulowii administratorum sedati animi.

Ceterum pax est confirmata in conventu quem Neapoli Guilelmus ipse et Emmanuel, Italorum rex, habuerunt; pariterque in regiis itineribus quae Eduardus, Anglorum rex, per Europam et Alfonsus Hispanorum per regionem suam iniverunt.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia valde probatum foedus, quod Itali cum Mad-Mullah de Somalia sanxerunt. De renovando exercitu insuper agitatum, decretaque pecunia ad Indicum imperium tutandum.

In Austria ut legatorum coetus consulatur quoties de rebus commune bonum attingentibus cum Hungaria agatur, sollemniter declaratum.

In Borussia Hammerstein dynasta vita functo, civitatis negotiis regendis delectus est Bethmannus Hollwegius. Rogatio legis de fodinis oblata.

In Dania lex adprobata de variis poenis corporalibus ab criminis punienda adhibendi.

In Gallia acribus disputationibus de rebus ecclesiasticis a civilibus seiungendis iuxta gubernii proposita disceptatur: pro rei publice vero moderatibus adhuc Victoria stetit.

In Graecia aditiali regis oratione, in qua propositum apertum est circa rei civilis administrationem innovandam, coetus sessiones resumptae.

In Hungaria nondum administratorum novum collegium compositum.

In Italia novum administratorum collegium deleatum, cui Alexander Fortis praeesset. Rationes impensarum ad trutinam vocatae, lataque lex de ferriis civitati redimendis.

In Lusitania regia oratio ad coetus sessiones his diebus inchoandas consilia gubernii aperuit circa rei civilis instauracionem.

PER ORBEM.

MEMORANDA ob gravitatem miseriarum, quae post hominum memoriam inter maxima sunt recensenda, Indorum fata ineunte Aprili mense fuere. Eorum enim urbes antiquissimas pariterque venustissimas Lahorium, Simlar, Madrasa, Calcutta, Sultampur, Palampur, Kangradum aliasque centum una cum pagis et opidis quae late eas cingunt, copiis opimas civibusque frequentes terraemotus ingens repente una simul die quassavit.

Quae populorum clades, quae aedium templorumque ruiae inde parta sunt ecquis di numeret? In volumina historia tot miseriarum, quum singillatim enarrata fuerit, exrescet. Ubi antea iucundae urbes, floridis hortulis decorae, media in feracissima regione splendebant, ibi hodie solum ruiae obruiunt, oppressique cives suis sub domibus extincti iacent.

Eorum iam dinumerata misera capita sunt ubique; atque heic ad decem millia, alibi ad vinti millia excreverunt, etsi non omnia hactenus computari fas fuerit. Tanto infortunio sarcendo si Anglorum ipsae divitiae impares dividantur, quanto magis erunt privatorum opes et auxilia? Attamen iam notum est Anglos magistratus omni ope incumbere ut quae per iram Vulcani disiecta sunt et prostrata, dum latius liceat, reficiantur.



Ex Asia si in Africam transierimus pestiferae luis tropaea inveniemus.

Vastavit haec praesertim arabica litora et maria; nam Arabes illi qui quotannis variis ex litoribus Mecam versus sacram urbem instructa pompa peregrinantur, contagii luem secum ab una in aliam regionem deferunt et propagant. Quamquam maximam cladem Februario mense occidente Arabes incolae luxerunt, eamque paullatim, maturante vere, imminutam viderunt et perdomitam. Decremente autem morbi vi dinumeratae sunt hominum vitae, quas pessimum flagellum absursum, easque ad bis millia excrevisse patuit: licet Arabum reguli, humanitatis tandem legibus obsequentes, cautelas omnes non neglexerint, quas Venetianus olim medicorum coetus

hosce ad morbos curandos suasit. Multa itaque incolarum millia pretiosa lympha regenerata sunt, quae ab Haskinio doctore nomen obtinuit, atque, advocati late ex Indorum litoribus, medici atque valetudinarii custodes morbo affectis adstiterunt.

Eadem lues Chilensem quoque rempublicam tametsi minus aggressa, Iquique ex urbe ad Valparaisum progressa est, dum Pisaguanum portum, Tarapaca in provincia, miseri incolae contagii metu exterrii derelinquent.



Comitantur haec aliae caedes, ubique ex aquis aut aere sequatae. Brocktonii in Anglia ad opificium chalybica cavea ad aërem foven-dum repente disiecta, sexaginta opifices vita privavit. Noircini et Drenkowae in carboniferis fodinis pessimus aëris grisou incensus est atque operariorum manipulos obruit vel suffocavit.

At pessimum infortunium Matriti contigit. Ibi enim quum ad reficiendam maximam cisternam opifices multi adlaborarent, aquarum erosione repente disiectis muris qui lympham continebant, confractum omne aedificium est. Hinc et inde delabentes parietes, occidentes muri, tectaque perrupta opifices oppresserunt. Sed maiorem cladem ipsae pararunt aquae, quae stratas parietes superantes, ruinas ipsas et reliqua opifica, et circumstantes domus late inundarunt ac demiserunt. Victimae tantae rui-nae quinquaginta et amplius recognitae sunt; accepta vero pecuniae detimenta ingentissima. Hisce autem quasi non esset satis, accesserunt per vias operariorum tumultus et seditiones, quos vix compescere armata manu datum est. Sed Matritensium pietas melius innotuit quae die miseris opificibus iusta funebria solemnissima pompa sunt celebrata, cuius ad ossa innumerabiles coronas floridas unusquisque ci-vium ordo attulit.



Ea inter Alfonsus rex, plaudentibus subditis, Valentinem versus urbem iter fecit, quam lustraret. Urbem igitur obequitans et militibus septus ingressus est, atque ad maximum statim templum perrexit, ubi Ambrosianus hymnus est decantatus. Deinde ad praefecti prae-torium progressus, ibi domicilium ad aliquot dies posuit.

Paulo longius Anglorum rex et regina Palmensem portum tenebant, urbemque late col-lustrabant. Simul Vilhelmus Caesar, postquam Mauritana litora vidit et Paleopolitanum portum, ad Siculos descendit, ubi Taorminam urbem eiusque Graecas ruinas cum uxore et liberis reviseret. Samnitium denique italicus dux Alexandriam tenuit, ibique Italos colonos salutavit.



Sed eius iam pristinae gloriae aemulus con-surgit dux Aurelianensis, qui proximo mense ad articum polum et ipse proficiscetur; Belgica iterum instructa ad rem navi, quam iam Nan-senius conseedit. De Gelach Gallus turmae praeverit ex Norvegis nautis instructae: doctores et comites ducis Galli pariter. Hoc ritu glacie regionem versus novissimi hi proficiscentur.

TOCI.

Clarorum virorum apophthegmata.

Equiso quidam interrogatus quid maxime saginaret equum: - « Oculus - inquit - regis ». Sensit ille equum optime curari si dominus frequenter adsit; quod idem vult celebre illud: Frons occipitio prior est.



Catulus Philippo oratori dicenti: - « Quid latras? » - « Furem video » respondit, notans hominis rapacitatem.



AENIGMATA

A FR. PALATA PROPOSITA.



I.
Ripae sum margo. Mutatur si mihi paullum *cupido* *negritis*.
finis, do graeco nomina calceolo.



II.
Pulvis sum, quem serra creat stridensque terebra. *scolis*
Inseritur mihi rho? Parvum designo barathrum. *scolis*

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Aenigmata an. VIII, n. II proposita his respondent:

1) Iris, Irus; 2) Sapo, Sapor.

Ea rite soluta miserunt:

Ioan. Giambonini, *Pollegio*. — Abunt. Ballerini, *Novocomo*. — Zwirzina par, *Lohnau*. — Iac. Cemezar, *Costabona*. — Cam. Straschill O. F. M., *Villaco*. — Andr. Pápay, *Pruzinia*. — D. Le Provost, *Briocen*. — Ioan. Cantone Ceval-mchio, *Vercellis*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Fr. Lang, S. Martino. — I. A. C. Oudemans, *Traiecto ad Rhenum*. — St. Lavinski, *Niemystov*. — Nic. Malyniak, *Kraczyn*. — Lad. Lud. Podobinski, *Bochnia*. — Alex. P. Gest, *Lambertville*. — Fr. Dostal, *Nechanice* — Em. Gschwind, *Praga*. — Car. Steg-müller, *Sabaria*. — Am. Robert, *Marieville*. — Ioan. Galbiati, *Mediolano*. — Disc. Gram. Sup. Coll. S. Michaelis, *Bruxellis*. — Alois. Berthé, *Nicea ad Varum*. — Mich. Vidal, *Palma in insula Maiorica*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Collegium Scho-larum Piarum, *Stella*. — Princ. Gordon, *Mancunio*. — Felix Dacomo, *Alba*. — Call. Amalberti, *Albio Intemelio*. — Aug. Paul, *Brasovia*. — Seminarium Vicense — Ferd. Ferrari, *Guastalla*. — Ios. Bok S. I., *Staraviesia*.

Sortitus est praemium:

IOANNES GIAMBONINI,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus:

SATURIO.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

DR. CH. COLOMBO. *Manuel du Latin Commercial*. — Lutetiae Paris. edid. P. Lethielleux, MDCCCCV. (Ven. lib. 1).

SALVATORE M. BRANDI S. I. *I Cardinali di S. R. Chiesa nel diritto pubblico Italiano*. Note giuridiche. — Romae edid. comment. *La Civiltà Catolica*, MDCCCCV. (Ven. lib. 1).

PAUL SABATIER. *Examen de quelques travaux récents sur les Opuscules de Saint François*. — Lutetiae Parisiorum edid. Fischbacher, MDCCCCIV. (Ven. lib. 2,25).

Lateinisches Etymologisches Wörterbuch von DR. A. WALDE. Lieferung I. — Heidelbergae edid. Carolus Winter's, MDCCCCV. (Ven. m. 1,25).

AVV. RAFFAELE LIOY. Che cosa sia il "dies incertus". — Neapoli ex off. Sangiovanni, MDCCCCIV. (Ven. lib. 1).

De duabus Persii codicibus qui inter ceteros Laurentianae bibliothecae servantur scripsit F. RAMORINUS. — Florentiae edid. B. Seeber, MDCCCCIV.

G. B. ELLISSIMA. Gli scritti latini editi ed inediti di Alessandro Manzoni commentati. — Augustae Taurin. apud N. Bertolero, MCMLIII.

Questioni politico-religiose. Osservazioni di un PRE-LATO ROMANO. — Romae, ex off. Forzani et Soc., MCMLV.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii *VOX URBIS* administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad *VOCIS URBIS* administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congagationes » aguntur.

Itaque si quis prouratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii *VOX URBIS* paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

👉 IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. 👈